

consulem tantum nominare vel praetorem, cuius pleraque edicta proconsul receperat (Cic. ad Attic. 6, 1 § 15), mirari non licet. De Bithynorum vero et Galatarum iure ut Gaius ipse verba fecerit nec tantum, ut mihi persuasum est, Hadriani retulerit, num forte etiam Titium Aristonem idcirco, quod Aegyptiorum ius novit et commemoravit (Gell. 11, 18), Aegyptium vel certe orientalem fuisse statuere debemus? praesertim cum certum sit plerosque Romanos etiam ICtos ius peregrinum curiose inquisivisse (Gell. 20, 1, 4 [Iurispr. I, 98]. Fr. Dosith. 12). Cetera Mommseni argumenta aut leviora sunt aut eiusmodi, ut etiam aliis opinionibus firmandis inservire possint, quare ea interim missa facere liceat. Hoc vero quaero: quamobrem in his, quibus locus, ubi quis scribit, optime cognosci solet, nihil reperiatur in Gai scriptis, quod Asiam prodat? Immo haec ad Italiam Romamque nos delegant. In exemplis condicionum hanc ponit: 'si navis ex Asia venerit' (L. 33 D. de hered. inst. 28, 5 ex lib. II de testam. ad ed. praet. urb., L. 72 D. de fidei. 46, 1 ex lib. III de V. O.) — miro modo, si Troade haec scripsit: item 'si navis ex Africa venerit' et hanc speciem: 'si inter eos qui Romae (non Troade) sunt, talis fiat stipulatio: *Hodie Carthagine dare spondes?*' (L. 141 §§ 7; 4 coll. L. 73 pr. de V. O. 45, 1 ex lib. II de V. O.) et 'si is, qui ita stipulatus fuerit: *X milia Ephesi dare spondes?* . . . . Romae pure sic intenderit' (4, 53). Similiter in exemplis ei sunt et in ipsis quidem etiam ad edictum provinciale libris fundus Tusculanus, vinum Campanum, triticum Africum, Tyria purpura (quam usu potius Romanam dixeris) (L. 74 D. de V. O. 45, 1. L. 17 pr. D. de condic. et dem. 35, 1. Inst. 4, 53) et ipse a praetore (non a proconsule) cautionem petens L. 11 D. ut leg. 36, 3. Quibus convenit, quod, quo die Romae (non in provinciis) vota pro salute imperatoris suscipiantur, exponit (L. 233 § 1 D. de V. S. 50, 16), quod etiam in libris ad edictum provinciale ab his, quae Romae sunt, ad id, quod in provinciis obtinet, procedit (L. 1 pr. D. quod cuiusq. univ. 3, 4. L. 5